Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26049
Copyright: Admont, Benediktinerstift



re. in septem qualitatibus continetur. Nam tribus spiritalibus. et qua
tuor corporalibus uiget. In dilectione etenim dei tribus qualitati
bus spiritalibus excitatur. cum ei per legem dicitur. Diliges dominum deum tuum
ex tota mente tua. et ex tota anima tua. et ex tota uirtute tu
a. corporaliter uero quatuor qualitatibus continetur. quia uidelicet ex
materia calida. et frigida. humida. et sicca componitur. Homo
ergo qui ex septem qualitatibus constat. denario remunerari dicitur. quia
in illa perceptione superne patrie septem nostra ad tria iunguntur eterna.
ut homo contemplationem trinitatis accipiat. et de remune
ratione operis quasi quodam denario consummatus uiuat. ut certe
quod septem uirtutes sunt quibus in hac uita laboratur. dumque eis in
remuneratione contemplatio trinitatis redditur. uita laboran
tium denario remuneratur. Sed perfectus quisque etiam in hac uita de
narium accipit. dum eisdem septem uirtutibus spem. fidem. caritatem
que coniungit. Millenarius quoque numerus in sacro eloquio perfectus
accipitur. quia appellatione eius uniuersitas designatur. Unde
scriptum est. Verbi quod mandauit in mille generationes.
Cum enim nequaquam credendum sit quod ad centum generationes mun
dus extendatur. quid aliud mille generationibus nisi generationum
uniuersitas figuratur. Beatus igitur iob quatuordecim milia ouium
recepit. Quia enim in sancta ecclesia uirtutum perfectio ad utrumque sex
um ducitur. septenarius in ea numerus duplicatur. Et sex milia
camelorum recepit. quia plenitudinem in illa operis accipiunt
qui ab illa dudum uitiorum suorum feditate perierunt. Mille quoque
iuga boum ac mille asinas recepit. quia israhelitas atque gentiles
doctos ac simplices post temptationum casus in culmine perfectionis
assumpsit. Septem quoque filios et tres filias recepit. quia eorum mentibus
quos septem uirtutibus generat. ad perfectionis summam spem. fidem cari
tatem que coniungit. ut tanto uerius prole sua gaudeat. quanto si
bi fidelibus nil deesse uirtutis pensat. Sed quia hec succincte trans
currimus. nunc ipsis quoque indagandis filiarum uocabulis inten
damus. SEQUITUR. Et uocauit nomen unius diem. et no-